



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

V. Vtrùm gratia sufficiens sit tantùm actualis, vel etiam habitualement
includat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

notum est. Nec oportet, id quod adiuvat per
modum principij physici semper esse homini in-
hærens, vt in precedenti libro tetigi, & probaui,
sed potest Deus ipse vt paratus ad cooperandum
homini esse principium in actu primo adiuuans.
vnde in his argumentis, vt sæpe notauimus supra, sæpe
in eo peccatur quod non distinguit inter auxi-
lium adiuuans in actu secundo, vel in actu pri-
mo, nec vtraque datum, vel vt oblatum, & po-
tissimum in hominis potestate. Et ex eodem defectu
cap. i. in principio, quod hic solum relinquatur.
Denique argumenta illa non probant, omne auxi-
lium excitans esse tantum sufficiens, quia licet auxi-
lium excitans distinguatur ab adiuvante, & sine
illo non consequatur effectum, tamen tale esse po-
test, vt infallibiliter secum afferat auxilium adiu-
uans, & ita esse potest efficax, vt lib. sequenti ex
professo tractabitur.

autem est sufficiens absolute, & in omni genere; nam intellectus informatus lumine, licet sit potens ex parte sua, non est tamen absolute sufficiens ad videndum, nisi habeat speciem, vel essentiam Dei per modum speciei coniunctam. Sicur visus corporeus est sufficiens ad videndum in ratione principij remoti proximi, & potentia vitalis, non tamen absolute, nisi habeat speciem: & ideo sufficiens non simpliciter, consistit in vno tantum auxilio, vel principio, sed collectionem plurium requirit. Imò si loquimur de sufficientia quæ physice & moraliter proxima sit, non solum requirit collectionem omnium principiorum per se requisitorum ad operandum: vt, ignis non est simpliciter sufficiens ad calefaciendum rem distantem, ita manentem, nec flos ad illuminandum cubiculum vndique clausum, & sic de alijs, ergo sufficientia simpliciter includit omnia, & quasi collectiua est, & ita nunc de illa loquimur: quia illa est necessaria, vt homo & simpliciter & absolute sit potens ad agendum ita vt actus sit in libertate eius, & eique imputetur si non faciat, vt videbimus.

Deinde observo ex supradictis dupliciter fieri posse à nobis actus supernaturales, scilicet connaturali modo, & per principium intrinsecum in nobis permanentis, vel prænaturali modo, ut si naturales à deo dicam, prævia tantum motione primi agentis subleuantis potentiam ad operandum supernaturaliter sine habitu sibi inherente. Nam de priori modo multa dicta sunt in lib. 4. ex quibus satis constat, quomodo ille modus supernaturaliter sit possibilis, & ordinarius in hominibus fidelibus, & iustis, & ordinarius in infusorum, qui illis sunt, & quomodo dicatur connaturalis, non quidem respectu potentie secundum se spectare, sed respectu habitus infusi. Et inde intelligitur cur alterum modum vocemus prænaturalem, non solum quia supernaturalis est respectu potentie, sed etiam quia non habet dictum modum connaturalitatis, & quod hic etiam modus sit possibilis in lib. 4. & 5. & in materia de visione beata; dictum à nobis est, & sumitur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. dicente contritionem imperfectam esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis. Imò etiam de prima contritione perfecta infra ostendimus, non elici à habitu, sed etiam esse à Spiritu sancto mouente.

Hic ergo positis dicendum in primis est respectu actuum supernaturalium, ut connaturali modo fiant; habitum esse principium necessarium, & in suo ordine sufficiens non tamen esse absolute & simpliciter auxilium sufficiens, licet aliquo modo dici possit in illo includi. Assertio est facilius quoad omnes partes. Nam in primis licet habitus infusus non sit simpliciter necessarius ad agendum supernaturaliter, est tamen necessarius ad connaturaliter agendum, quia vox illa *connaturaliter* quasi relativa est, & dicit respectum ad internum principium permanens. Deinde clarum est ex dictis supra, habitum infusum in suo genere esse principium sufficiens; id est, in ratione principij dantis voluntati, vel intellectui internam virtutem agendi, ut in 3. lib. declaratum est, quia in eo genere vnus habitus sufficit ad proprium actum: est enim in suo genere perfectus, & plures fingere esset superuacaneum, & contra perfectionem talium virtutum, & eadem ratione possit in infinitum procedi, ut recte argumentatur D. Thom. d. q. 109. art. 6. & docet in art. 9. & 10. Sic enim inuenitur sufficientia in habitu; nihilominus tamen verum est, non sufficere habitum in ratione auxilij, seu adiutorij diuini, quia habitus indiget actuali auxilio.

CAPVTV.

Virum gratia sufficiens sit tantum actua-
lu, vel etiam habitualement in-
cludat.

Ratio di-
biziandi.

Hoc dubium petitur in primo argumento, in primo capite relicto, quia sufficiens dat posse, ut proxime diximus: in superioribus autem dictum est, habitum infusum dare posse operari supernaturalem actum; ergo habitus est proprie gratia sufficiens. In contrarium verò est, quia multis datur auxilium sufficiens, quibus non datur habitus, vel priusquam illis detur habitus, ut patet in infidelibus, qui habitum fidei non habent, & consequenter nullum infusum habent, quia habitus fidei est primus inter infusos. Et tamen illi habent auxilium sufficiens, ut infra dicemus; ergo habitus nec auxilium sufficiens, nec ad illud requiritur. Secundò gratia sufficiens continetur sub genere auxilij; at verò habitus non est auxilium, nam auxilium dicit actualem motionem; ergo. Tertiò etiam si supponatur, habitus ille indiget actuali motione ut operetur; ergo non ipse habitus, sed motio est auxilium sufficiens.

In hoc puncto parua est in re difficultas, & ideo
vt tollatur controuerſia de verbis, ſuppono
in primis, hic non eſſe ſermonem de quacumque gra-
tia ſufficiente ad ſalutem, vel ad remiſſionem pec-
cati, ſed ad vitam æternam conſequendam, ſic-
enim gratia habitualis ſine operatione poteſt inter-
dum eſſe ſufficiens, vt patet in paruulis. Agimus
ergo de gratia ſufficiente ad bene moraliter & ſu-
pernaturaliter operandum, nam propria auxilia
gratiæ ad operationem dantur. Sic ergo auxilium
ſufficiens duobus modis dicitur, vt ſæpe ani-
aduerti. Primo, vt in aliqua operatione determi-
nata & ſpeciali ſufficiat, ſecundo quali collectiue,
vt includant omnia neceſſaria, quibus homo fit
ſimpliciter ac moraliter potens ad eliciendum ſu-
pernaturalem actum. Priori modo habitus chari-
tatis dicitur principium ſufficiens ad eliciendum
actum amoris Dei, & lumen gloriæ eſt principium
ſufficiens ad videndum vtrique in ratione proximæ
virtutis ex parte potentiz ad agendum. Neutrum

lio diuino ad operandum, tum ex parte intellectus, seu obiecti, vt excitetur mens ad bene vtendum infuso habitu: tum ex parte principij, seu ipsius habitus & potentia quæ operari non potest sine actuali concursu Dei eiusdem ordinis cum operatione, vt ex libro superiori constat. Igitur solus habitus præcisè sumptus non potest dici auxilium absolutè sufficiens, & quasi collectiue, vt declarauit. Poterit tamen dici vnum ex requisitis ad auxilium sufficiens integrum & totale (vt sic dicam,) respectu talis modi operandi vtique connaturaliter, vt satis declaratum est.

Est tamen vnum ex requisitis ad auxilium sufficiens totale.

Sine habitu actus supernaturales possunt fieri per auxilia Dei actualia præternaturaliter.

Probatur assertio.

Deinde dicendum est, vt actus supernaturales absolutè fieri possint, saltem præternaturaliter in sensu declarato, habitus non computari in auxilio sufficienti, sed absque illis per auxilia actualia dari posse, & frequentissimè dari. Hæc etiam assertio perspicua est: nam ad hunc modum efficiendi hos actus non est necessarius habitus, qui sit principium illorum, vt declaratum, & probatum est: ergo sine habitu potest dari potentia adiutorium sufficiens ad tales actus eliciendos, quia ad auxilium sufficiens solum requiruntur ea quæ ad efficiendum actum simpliciter necessaria sunt.

Item sine habitu datur auxilium efficax ad efficiendos actus supernaturales dicto modo, quia nullus actus supernaturalis haberi potest sine auxilio efficaci, vt libro sequenti dicemus, & sæpe tales actus fiunt, & non ex habitu: ergo datur tunc ad illos auxilium efficax, ergo & sufficiens, prout in efficaci includitur: ergo etiam poterit dari solum auxilium, sufficiens quod non consequatur effectum, quia est contingens ex libertate arbitrij, vt auxilio sufficienti resistat. Hinc rectè concluditur auxilium sufficiens quod datur ad supernaturales actus hoc modo efficiendos in solis auxiliis actualibus consistere, nec contra hoc procedit ratio dubitandi in principio posita, quia licet habitus det posse, non est tamen necessarius simpliciter ad illud posse, sed solum ad posse tali modo, scilicet connaturaliter, absolutè verò illud posse per alia auxilia à Deo suppletur, & ideo ad alium modum agendi potest esse auxilium sufficiens sine habitu.

Respondet ad rationem dubitandi.

Ex argumentis verò superiori loco positis, primum probat hanc posteriorem assertionem: tertium verò probat secundam partem superioris assertionis, vt faciliè consideranti patebit. Secundum autem facit vim tantum in voce auxilij, quæ videtur motionem actualem significare. Veruntamen, vt supra dixi, etiam potest sumi pro quocumque Dei adiutorio, siue detur per motionem, siue per habitum, siue quocumque alio modo, & hoc modo dicimus habitum interdum includi in auxilio, vel, vt tollatur vocis ambiguitas, in adiutorio, vel gratia sufficienti ad certum modum operandi; quia verò in præsentibus præcipue agimus de actuali gratia, ideo in sequentibus rigorosè loquimur de auxilio sufficienti ad operandum, secluso habitu, de cuius efficientia in lib. 4. satis dictum est. Quomodo autem efficientia eius suppleatur quando potentia sine illo operatur, in lib. 4. explicatum est, nunc ergo de auxiliis actualibus agemus.

Vox, auxilij sumitur pro quocumque Dei adiutorio, seu gratia sufficiente.

Denique hinc facile satisfit primo argumento in præcedenti capite posito, in quo probatur, quodnam sit diuissum superioris diuisionis, in quo in primis interrogari potest, an sit auxilium externum, vel internum, in quo dicendum est diuisionem maximè dari de auxiliis internis, quia tam ad sufficientiam, quam efficaciam gratia in primis necessaria sunt, & ad vtrumque possunt interdum satis esse, quæ omnia ex dictis satis probata sunt; quia verò secundum ordinariam prouiden-

Diuisio gratia in sufficientem & efficacem comprehendit auxilia

riam, etiam externa auxilia desiderantur ideo diuisionem ita intelligendo dicendum est in diuisio vtraque auxilia externa quasi collectiue comprehendendi.

Deinde potest inquiri, an in diuisione illa actuale, vel habituale auxilium diuidatur: dicendum est autem si intelligatur diuisio de auxiliis sufficientibus, vel necessariis ad quemcumque modum operandi, sic nec solum actuale adiutorium, nec tantum habituale ibi diuidi, sed ab vtroque abstrahere, & vtrumque includi posse. Nam si membra sumantur collectiue, vt re vera sumi debent, etiam diuissum debet esse quid collectiue, vt sit membris proportionatum: ideoque in illo quatenus colligit multa, includuntur actualis & habitualis gratia: abstrahit tamen a collectione includente vtramque, vel alteram tantum, quia interdum poterit auxilium sufficiens, imò etiam efficax vtramque gratiam actualem & habituale innoluere, interdum in solis actualibus auxiliis consistere potest, quamuis nunquam possit per solos habitus compleri, vt in secundo argumento in secundo membro eius satis probatur. Quod verò in primo membro dicitur, auxilia actualia sola non posse sufficere, ad operandum simpliciter, falsum est, nec inde fit habitus esse superfluos, quia ad modum connaturaliter agendi necessarii sunt, & hoc est satis. Quod denique in tertio membro obicitur de paruulis baptizatis, non est ad rem, quia licet illi habeant gratiam sufficientem, imò & efficacem (si ita licet loqui), ad salutem consequendam, si in ea ætate moriantur, non tamen habent auxilium sufficiens ad operandum, quia pro tunc non sunt capaces operationis, hic autem de auxiliis ad operandum loquimur, vt dixi.

Tandem inquiri potest, an diuidatur ibi auxilium excilians, vel adiuuans, de quo in sequenti capite dicemus.

CAPVT VI.

An auxilium aliquod verè sufficiens sit ex se inefficax, vel vnde id habeat, quando tale esse contingit.

Quoniam dictum est, auxilium sufficiens, vt distinguatur ab efficaci, quasi priuatiue illi opponi, ideoque in re ipsa inefficax inueniri, ideo explicandum est, vnde habeat hanc inefficaciam, & inde etiam constabit, quid illa sit? solum autem potest hæc inefficacia provenire vel ex natura auxilij, ac proinde ex parte Dei, vel parte hominis, & liberi arbitrij eius: inter hæc igitur tantum quaestio versatur. Oportet autem supponere sermonem esse de auxilio proximè sufficienti, id est, quod ad potestatem agendi proximè sufficit, modo superius explicato. Nam si tantum remotè auxilium dicatur sufficiens, tunc adhuc expectatur aliud maius auxilium præueniens, vt fiat proximè sufficiens, & quamdiu hoc non obtinetur, prius erit inefficax ex defectu vterioris auxilij, poteritque illa inefficacia homini imputari, quia per prius auxilium non fecit id quod proximè